

# EPISTULA LEONINA

## XXXVII

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XXXVI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina.php>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ.  
 MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

**EN HABES EPISTULAM LEONINAM TRICESIMAM SEPTIMAM !**  
**ARGUMENTA**

SENTENTIOLA FRANCISCI BACONIS – NOVUS ORGANISMUS AB HOMINE CREATUS (*Craig Venter*) – MYTHI GRAECORUM (XXIII): - VOCABULA DOMESTICA (VI) – INDEX ARCHITECTONICUS A IOANNE CAROLO ROSSI CONFECTUS.

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

**Cara Lectrix, Care Lector,**

*valdē gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam tricesimam septimam.*

*Haec Epistula incohatur verbis illustribus, quae fecit Franciscus Bacon Britannus illustris, qui scripsit «Novum Organon».*

*Secundo loco legas, quaeso, de re mirâ et vix credibili: de novo organismo ab ipso homine creato. Licetne homini personam gerere creatoris? Lēge et mirare et cognosce opera et optata Craigii Venteri Americani biologi et creatoris diei octavi...*

*Tertio loco invenies Mythorum Graecorum partem vicesimam tertiam (XXIII) et Vocabulorum domesticorum sextam (VI).*

*Denique valdē vehementerque gaudeo, quod Te certiorem facere mihi licet de indice architectonico, quem nobis benignē misit Ioannes Carolus Rossi architectus Mediolanensis et defensor Latinitatis vivae optimē meritus.*

*Cara Lectrix, care Lector, congaude tecum de hac Epistulâ Leoninâ et pancraticê vale et perge nobis favere!*

**Nicolaus Groß  
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

d.Saturni, 26.<sup>o</sup> m.lunii, a.2010



# ET IPSA SCIENTIA POTESTAS EST.

**FRANCIS BACON**

(1561-1626)

cfr Francis Bacon, *Meditationes sacrae*, 1597, 11 *Nam et ipsa scientia potestas est.*  
 De inscriptione imaginis superiore, quae est MONITI MELIORA, cfr VERG.Aeneis 3.188  
*cedamus Phoebo et moniti meliora sequamur.*

## "Ut faciant ea, quae nos volumus"

*Scripsit Cinthia Briseño, in Latinum convertit Nicolaus Groß*

Nunc homines sciunt creare animantia. Scientiae cum Craigio Ventero (*Craig Venter*) cooperati fabricaverunt organismum artificiale: computatro constructum, in laboratorio animatum. Investigator famosus sperat huic animanti novo fore qualitates inauditas – profecto Craigius Venter visioni sua propinquior est quam umquam antea.

Et die octavo Craigius Venter creavit vitam artificiale.

Iste vir estne competitor Dei? Estne alter *Frankenstein*? Hoc quaeritur, ex quo Venter primum omnium visiones suas investigationis geneticae verbis expressit – ipse respondet se non gerere personam Dei. Se non creare vitam funditus novam. Se nihil facere nisi uti iis, quae natura sibi praebat. Materiis vitae. Elementis ipsius ADN (acidi dysoxyribonucleinici = DNA). Quae sumpta a se novâ ratione componi.

Nunc Venter hoc denuo fecit. Eius scientistis contigit, ut primum omnium crearent bacterium heredio artificiali instructum – i.e. animans artificiale. Americani investigatores Instituti Craigii Venteri Rockvillensis in periodico scientifico, c.t. „*Science*“, referunt se fabricavisse bacterium ad vivendum aptum genomate omnino artificiali instructum. Idem describunt, quomodo gena cuiusdam bacterii e particulis heredii singulis reconstruerint et genoma artificiale hōc modo exortum imposuerint in aliam speciem bacterii. Inde effectum esse, ut heredium cellulæ originale repelleretur. Loco heredii originalis cellulam captam nullas substantias fabricasse nisi eas, quarum programma inesset genomati artificiali. Ita exortam esse cellulam, quae regeretur a genomate alieno – talem cellulam investigatores appellant „syntheticam“.

Quid valet haec creatura Craigii Venteri novissima? Licet Venter non fecerit experimentum iusculi primigenii, de quo multi somniant: i.e. illud conamen eventūs reconstruendi, quibus per multos miliones annorum prima omnium animantia exorta sunt. Tamen agitur de magno progressu biologiae syntheticae facto.

Agitur de experimento gravissimo, quod spectat ad ipsius ADN bases, quae appellantur A, T, G, C. Quae abbreviatura valent moleculas adenini et thymini et guanini et cytosini. Primus organismus Venteri artificialis in computatro personali exortus est e sequentiā unius ferē milionis parium adenini et thymini pariumque guanini et cytosini. Machinā effectum est, ut ex hōc programmate evaderet molecula ipsius ADN artificialis.

Longè quidem abest, quin cellulâ bacterii denique exorta sit organismus, qui operetur ad libitum investigatorum neve sit animans funditus novum – at est cellula synthetica ad vivendum apta, quae suo marte potest prolem propagare.

### **"Ut faciant ea, quae nos volumus"**

Aliquando in quodam colloquio cum diurnariis Speculi Hammaburgensis facto Craigius Venter dixit se velle animantia artificialia fabricare «certē non ita, ut omnia ingredientia coniciamus et quatiamus et ictu fulminis animemus, certē non ita». His verbis sensit se nolle personam gerere Dei. At illis basibus A, G, C, T adhibitis Venter factus est unus e patribus biologiae syntheticae. Qui studuit elementis vitae pernoscendis, qui lēgit in herediis organismorum numerabilium, quorum nōtas explicavit, a primi bacterii heredio, quod quindecim annis ante perquisivit, usque ad genoma humanum, quod quinque tantum annis post indagavit. Nunc autem rebus cognitis proficiscitur ad novos organismos creandos.


"Ut faciant ea, quae nos volumus" – sic dicit de generibus animantium artificialibus – iisque verbis describit incepta biologiae syntheticae, quae pridem facta est pars investigationis ingens, visionesque audaces, quibus affecti sunt biologi hanc disciplinam tractantes. Idem enim creare volunt structuras biologicas organismosve minores, velut bacteria, quae sunt novis qualitatibus a naturâ alienis.

Hac in disciplinâ scientiarum cooperantur biologi moleculares et chemistae et biotechnologi et scientistae informationis et specialistae computatrales et engeniorum. Paulatim et gradatim ex hac disciplinâ scientificâ fiet pars oeconomiae prorsus nova, cuius rudimenta iam nunc florent. Venter ipse est praceptor negotiationis, cui nomen est *Synthetic Genomics*, ad quam augendam pecuniae dantur copiosae.

### **Crescitne e scientiis ingens res industrialis?**

Aliquando fortasse fiet, ut apud hanc negotiationem mandentur genomata ad amussim confecta. Investigatores sperant talibus genomatis solutum iri problemata verē \*globalia, velut problema energiae mundanae.

Quidni creentur gena, quorum ope organismus fabricet \*biocausima (*theod. Biokraftstoffe*)? Complexus mercatorius, cui nomen est „*Exxon Mobil*“, ut hanc cogitationem ad effectum adduceret, iam aliquot centum miliones dollariorum dedit negotiationi Venterianaee „*Synthetic Genomics*“. Venter hac pecuniâ utitur ad algas perquirendas, quas e luce solari et carboneo dioxydato causima fabricaturas esse sperat.



**Ecce cultura bacterii, cui nomen est *Mycoplasma mycoides*: Hic cumulus caeruleus constat ex aliquot centum cellulis singulis, quarum genoma in hyalo reagentiali creatum est ex basibus ipsius acidi dysoxyribonucleinici (ADN = DNA).**

Hôc modo fortasse fieri poterit, ut carboneum dioxydatum nocens illud gasum \*viridianum, quod nos abundantissimê flamus in atmosphaeram terrestrem, subito fiat novus fons causimorum.

Antequam hoc fieri poterit, transierint multi anni vel decennia. At aliquando exstabat genus algarum artificiale, quo carboneum dioxydatum efficacius pertractabitur quam genera naturalia – hoc quidem multis hominibus rei peritis est persuasissimum.

Talibus organismis mutabitur oeconomia globalis. Nova medicamenta, benzinum purum, materiae quae a se ipsis reparantur, diagnostica: Vix aliquid exstat, de quo fabricando designatores genomatum nondum deliberaverint.

Si tardissimê, ex illo tempore, quo explicatae sunt nōtae genomatis humani, de Craigii Venteri inventionibus inauditis magna est dissensio hominum. Venter ipse demonstrat se huius difficultatis esse conscientum. Se non ignorare scrupulos morales. Venter vult vituperationes anticipare: Gregem suum scientificum annis nonagenariis iam posterioribus tractasse quaestiones morales – ipse dicit hoc factum esse iam ante prima experimenta creandi.



Ecce investigatores *Craig Venter* (a sinistris) et *Hamilton Smith* (a dextris): Bacterium artificiale non est experimentum iusculi primigenii, de quo multi somniant: illud i.e. illud conamen eventus reconstruendi, quibus per multos miliones annorum prima omnium animantia exorta sunt. Tamen agitur de magno progressu biologiae syntheticae facto.

Ex illo tempore labores gregis Venteriani certis spatiis temporis interiectis iterum iterumque ratione ethicâ perquiruntur. Normae autem internationales, quomodo tractanda est talis technologia maioris periculi, adhuc non existant. Index autem relationum perquirendi est longus. Non est quidem verisimile hoc sufficere ad omnes vituperatorum dubitationes atque sollicitationes tollendas. At evolutio pergit fieri. Et Craigius Venter pergit eandem participare.

## **SYMBOLAM SPECULI HAMMABURGENSIS**

**DE CRAIGII VENTERI**

**PRIMO ORGANISMO ARTIFICIALI**

**THEODISCE SCRIPTUM  
IN LATINUM CONVERTIT**



**LEO LATINUS**

**NICOLAUS GROSS**

<http://www.leolatinus.com/>

**MYTHI GRAECORUM (XXII):**

**Medea promittit se Argonautis adfuturam esse.**

Mythi Classicae Antiquitatis a Gustavo Schwab Theodiscê narrati, a Nicolao Groß Latinê redditi.

**Medea Argonautis promittit se adiuturam esse**

His rebus a sorore interrogatis virgo erubuit et pudore impedita est, ne respondêret; modo verba ei versabantur in primoribus labris, modo refugiebant in pectus intimum. Tandem amore tantum animum cepit, ut callidê diceret: »Chalciope, sollicitor, ne pater filios tuos sine morâ interficiat unâ cum viris alienis. Talia mihi praedicuntur somnio gravi; utinam deus aliqui prohibeat, ne idem expleatur.« Tum soror correptus

est timore intolerabili: »Hac ipsâ de causâ«, inquit, »vîni ad te et obsecro te, ut mihi adsis contra patrem agenti. Si negaveris, unâ cum filiis meis interfectis etiam ex Orco circa te volitabo furia!« Chalciope autem ambabus manibus genua Medeae amplexa caput iniecit gremio sororis; ambae sorores flebant amariter. Deinde Medea: »Quidnam, soror« inquit »loqueris de furiis? Per caelum et terram tibi iuro: Quaecumque facere potero, ut servem filios tuos, libenter faciam.« »Si ita est« soror inquit, »fieri etiam poterit, ut liberorum meorum causâ peregrino illi des qualemcumque fraudem, qua ille pugnam horribilem feliciter superet; nam Argos filius meus ab illo missus me obsecrat, ut hospiti auxilium petam a te.«

Haec audiens virgo se dito caelum attigisse putavit, facies eius pulchra erubuit, oculis nitentibus per momentum temporis caligo offusa est, et in haec verba erupit: »Chalciope, Aurora ne perget oculis meis lucere, nisi vita tui tuorumque filiorum mihi est res praecipua. Memini enim te, ut mater toties mihi narrabat, unâ cum illis mammasti, cum essem infantula; itaque te non sôlum amo ut soror, sed etiam ut filia. Cras primâ luce ibo ad templum Hecatae, ut ex illo loco afferam res magicas peregrino dandas, quibus tauri placentur.« Tum cubiculo sororis relicto Chalciope filiis nuntiavit rem exoptatam.

Per totam noctem Medea secum ipsa vehementer luctata est. »Num nimia sum pollicita, intra se loquebatur, »licetne mihi tantum facinus committere viri peregrini causâ? Mene illum sine testibus spectare, tangere – quae fiant necesse est, si quidem fraus ad effectum adducenda est? Faciam, illum servabo; abeat liber, quocumque vult: at eo die, quo pugnam feliciter perfecerit, ego moriar. Aut laqueo aut veneno liberer a vitâ mihi exosâ. – At num hòc modo servabor, nonne per totam Colchidem me persequêtur mala fama, qua dicar domum meam infamasse, viri alieni gratiâ mortua esse?« Talia in animo volvens abiit cistulam allatura, cui inerant medicamenta et salutifera et mortifera. Quam genibus impositam iam aperuerat, ut gustaret venena mortifera; tum menti Medeae obversatae sunt omnia vitae incitamenta et delectamenta amabilia, omnes ludendi sociae; sol ei videbatur pulchrior quam antea, correpta est metu mortis inevitabili; Medea cistulam humi depositus. Animus eius mutatus erat a lunone, Iasonis servatrice. Medea impatienser exspectabat auroram, ut subsidia magica promissa afferret et cum iisdem adiret heroem amatum.

**A GUSTAVO SCHWAB NARRATUM  
IN LATINUM CONVERTIT**



**LEO LATINUS**

**NICOLAUS GROSS**

<http://www.leolatinus.com/>

**VOCABULA DOMESTICA (VI)**  
*ex Orbe Picto pentaglotto excerpta et Latinē redditā*

CORBEIL,Jean-Claude/ARCHAMBAULT,Ariane: PONS Bildwörter-buch Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch. Stuttgart etc. (Ernst Klett Sprachen) 2003.

In hōc Orbe Picto mirabili 35.000 (triginta quinque milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscâ et Anglicâ et Francogallicâ et Hispanicâ et Italicâ. Nos autem coepimus addere vocabula Latina, quorum hōc loco praebemus partem earum sextam, quae spectant ad res domesticas (VII. DOMESTICA). Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 920 (nongentis viginti) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

I.ASTRONOMIA – II. TERRA – III.REGNUM PLANTARUM – IV.REGNUM ANIMALIUM – V.HOMO – VI.NUTRIMENTA ET INSTRUMENTA COQUINARIA – VII.DOMESTICA – VIII.PLASSATIO DOMESTICA ET OPERA HORTULANA – IX.VESTIMENTA – X.INSTRUMENTA PERSONALIA – XI.ARS ET ARCHITECTURA – XII.COMMUNICATIO ET INSTRUMENTA GRAPHEICA – XIII.TRANSPORTUS ET VEHICULA – XIV.ENERGIA – XV.SCIENTIAE – XVI.ATHLETICA ET LUDICRA.

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe per facile inveniunt vocabulum Latinissimum. En cara Lectrix, care Lector, habeas sextam partem domesticam huius enchiridii singularis vocabulis Latinis ditificatam (VOCABULA DOMESTICA VI = VII. DOMESTICA VI).

Nicolaus Groß  
LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

p.258 <b>Warmluft-system mit Zwangsumlauf</b>	forced warm-air system	bouche soufflage de	entrada de aire caliente	bocchetta di immissione	<b>systēma āēris calidī immittendī</b>
Abzweigkanal	branch duct	gaine de dérivation	conducto secundario	condotto di derivazione	<b>conductus dērīvātiōnis</b>
Umluft	retum air	reprise d'air	recuperación de aire	condotti dell' aria di ritorno	<b>conductus āēris refluentis</b>
Heizkessel	furnace	générateur d'air chaud	generador de aire caliente	generatore d'aria calda	<b>*generātrum āēris calidī</b>
Mischkammer	plenum	plénium	plenum	camera pressione di	<b>cella mixtōria</b>
Hauptverteilleitung	main duct	gaine principale	conducto principal	condotto principale	<b>conductus prīcipālis</b>

Bogen	elbow	coude	codo	gomito	<b>cubitum, -ī n.</b>
Kanalabschnitt	wall stack section	conduit de distribution vertical	conducto de distribución vertical	condotto di distribuzione verticale	<b>conductus distribūtiōnis verticalis</b>
Regulierklappe	damper	registre de réglage	rejilla regulable	registro di regolazione	<b>valvula rēgulābilis</b>
Warmluftaustritt	warm-air outlet	bouche de soufflage	entrada de aire caliente	bocchetta di immissione	<b>ēmissārium āēris calidī</b>
<b>Elektrischer Heizkessel</b>	electric furnace	générateur d'air chaud électrique	generador eléctrico de aire caliente	generatore d'aria calda elettrico	<b>*generātrum āēris calidī electricum</b>
Warmluftaustritt	warm-air outflow	sortie d'air chaud	salida de aire caliente	efflusso dell' aria calda	<b>effluxus āēris calidī</b>
Umluft	return air	reprise d'air	recuperación de aire	condotto dell' aria di ritorno	<b>conductus āēris refluens</b>
Filter	filter	filtre à air	filtro	filtro	<b>cōlum, -ī n.</b>
Revisionstür	access panel	panneau d'accès	panel de acceso	pannello di accesso	<b>foris accessōria</b>
Gebläse	blower	ventilateur	ventilador	ventilatore	<b>*ventilātrum, -ī n.</b>
Gebläsemotor	blower motor	moteur	motor del ventilador	motore del ventilatore	<b>*mōtrum *ventilātrī</b>
Stromanschluss	mains connection	entrée électrique	conexión eléctrica	collegamento elettrico	<b>conexiō *electrica</b>
Heizelement	heating element	élément de chauffe	elemento calorifero	elemento riscaldante	<b>elementum calōriferum</b>
Mischkammer	plenum	plénium	plenum	camera di pressione	<b>cella mixtōria</b>
<b>verschiedene Abzüge (Digestorien)</b>	types of outlets	types de bouches	tipos de rejillas	tipi di bocchette	<b>genera *dīgestrōrum</b>
Lüftungsgitter	skirting outlet	bouche de soufflage	rejilla de piso	bocchetta di immissione	<b>*dīgestrum immissōrium</b>
Wandgitter	wall grille	bouche d'extraction	rejilla de pared	bocchette di estrazione	<b>*dīgestrum parietāle</b>
Deckendurchlass	ceiling outlet	bouche à induction	rejilla de techo	bocchetta soffitto	<b>*dīgestrum laqueārium</b>
p.259 <b>Warmwasser-heizung mit Zwangsumlauf</b>	pumped hot-water system	installation à eau-chaude	sistema de agua caliente a presión	impianto di riscaldamento ad acqua calda	<b>systēma aquae calidae pressōrium</b>
Heizkörper	radiator	radiateur	radiador	radiatore	<b>*radiātrum, -ī n.</b>
Steigleitung Rücklauf	branch return pipe	colonne descendante	tubería descendente	colonna di ritorno	<b>tubus *redituālis secundārius</b>
Rücklauf	main return pipe	canalisation de retour	tubería de retorno	tubazione di ritorno	<b>tubus *redituālis prīcipālis</b>

Heizkessel	boiler	chaudière	caldera	caldaia	<b>ahēnum caldārium</b>
Umwälzpumpe	circulating pump	pompe de circulation	bomba de circulación	pompa di circolazione	<b>antlia circulatiōnis</b>
Ausdehnungsgefäß	expansion tank	vase d'expansion	tanque de expansión	vaso di espansione	<b>vās expānsiōnis</b>
Vorlauf	main supply pipe	canalisation d'alimentation	surtidor principal	tubazione andata	<b>tubus supplendī prīcipális</b>
Steigleitung Vorlauf	branch supply pipe	colonne ascendante	tubería ascendente	colonna di andata	<b>tubus supplendī secundārius</b>
Ölbrenner	oil burner	brûleur à mazout	calentador de petróleo	bruciatore per combustibile liquido	<b>fornāx oleāria</b>
Zündtransformator	ignition transformer	transformateur	transformador de ignición	trasformatore di accensione	<b>*trānsfōrmātrum accēnsīvum</b>
Temperaturregler	heat control	contrôle thermique	control de temperatura	regolatore della temperatura	<b>*rēgulāmentum temperatūrae</b>
Elektromotor	electric motor	moteur électrique	motor eléctrico	motore elettrico	<b>*mōtrum ēlectricum</b>
Gebläse	fan	ventilateur	ventilador	Ventilatore	<b>*ventilātrum, -ī n.</b>
Ölzufuhr	oil supply	arrivée du mazout	tubo de suministro de petróleo	arrivo del combustibile	<b>supplēmentum petroleī</b>
Ölpumpe	oil pump	pompe	bomba de petroleo	pompa del combustibile	<b>antlia oleāria</b>
Ölzufuhr	oil feed pipe	canalisation d'alimentation	tubo de suministro de petróleo	condotto di alimentazione del combustibile	<b>tubus petroleī supplendī</b>
Zündelektrode	igniting electrode	électrode d'allumage	electrodos de encendido	elettrodo di accensione	<b>*ēlectrodus accensīva</b>
Düse	nozzle	gicleur	boquilla	ugello	<b>mamilla, -ae f. [OLD 1070 s.v. mamilla...2 A small nozzle or spout. Si...in eam (sc.fistulam) mamillas in posueris tenues, qua eructent aquam...VARRO rust. 3.14.2; cfr gr. μαστός]</b>
Zuluft	air tube	manchon	tubo de aire	condotto dell'aria	<b>tubus āēris</b>
<b>Heizkessel</b>	boiler	chaudière	caldera	caldaia	<b>ahēnum caldārium</b>
Abgasrohr	chimney	cheminée	chimenea	camino	<b>camīnus, -ī m.</b>
Sicherheitsventil	pressure relief valve	soupape de sûreté	válvula de alivio	valvola sicurezza	<b>valvula sēcūritātis</b>
Verkleidung	casing	caisson	armazón	invólucro	<b>lorīcātiō, -ōnis f.</b>
Wärmedämmung	insulation	isolant	aislamiento	isolante termico	<b>*īnsulāmentum thermicum</b>
Thermometer	aquastat	aquastat	manómetro	termostato	<b>thermomētrum</b>

				dell'acqua	<b>aquārium</b>
Heizelement	heating element	élément de chauffe	elemento calorífero	elemento riscaldante	<b>elementum calōriferum</b>
Wärmetauscher	heat exchanger	échangeur de chaleur	distribuidor de calor	scambiatore de calore	<b>*distribūtrum calōris</b>
Durchzugsöffnung	draught hole	regard	aspirador de aire	foro di tiraggio	<b>*spīrāculum, -ī n.</b>
Brennraum	combustion space	chambre de combustion	cámara de combustión	focolare	<b>cella combustōria</b>
Brenner	burner	brûleur	quemador	bruciatore	<b>fornāx, -ācis f.</b>
Zuluft	air tube	manchon	tubo de aire	condotto dell'aria	<b>tubus āēris</b>
<b>Plattenheizkörper</b>	gilled-tube radiator	radiateur à colonnes	radiador tubular	radiatore a colonne	<b>*radiātrum columnāre</b>
Regulierventil	regulating valve	valve de réglage	válvula de regulación	valvola di regolazione	<b>valvula *rēgulātōria</b>
Rücklauf-verschraubung	hot-water outlet	sortie d'eau chaude	salida de agua caliente	uscita dell'acqua calda	<b>exitus aquae calidae</b>
Konvektor	gill	colonne de radiateur	tubo	aletta	<b>columna *radiātri</b>
Entlüftungsventil	bleeder valve	purgeur	válvula de purga	valvola di sfogo dell'aria	<b>valvula āēris ēmittendī</b>
Abdeckung	covering grille	grille d'habillage	rejilla	grilla di rivestimento	<b>lorīcātiō, -ōnis f.</b>
<b>p.260 Wärmepumpe</b>	heat pump	pompe à chaleur	sistema de bomba de calor	pompa di calore	<b>antlia calōris</b>
Zuluftkanal	supply duct	gaine de distribution	manga de distribución	condotto di alimentazione	<b>ductus distribūtīvus</b>
Anlage für Innenaufstellung	indoor unit	module intérieur	unidad interior	impianto interno	<b>apparātus interior</b>
Kältemittelleitung	refrigerant tubing	liaison frigorifique	tubería de refrigeración	tubo del refrigerante	<b>tubus refrigerātōrius</b>
Stromanschluss	mains connection	liaison électrique	conexión eléctrica	collegamento elettrico	<b>connexus ēlectricus</b>
Kältemittelleitung	refrigerant tubing	liaison frigorifique	tubería de refrigeración	tubo del refrigerante	<b>tubus refrigerātōrius</b>
Kompressor	compressor	compresseur	compresor	compressore	<b>compressōrium, -ī n.</b>
Anlage für Außen-aufstellung	outdoor unit	module extérieur	unidad exterior	impianto esterno	<b>apparātus exterior</b>
Ventilator	fan	ventilateur hélicoïde	ventilador	ventilatore	<b>*ventilātrum, -īn.</b>
Sicherungsautomat	circuit breaker	disjoncteur	interruptor automático	interruttore automatico	<b>*interruptrum automaticum</b>

<b>Zusatz-Heizung</b>	auxiliary heating	chauffage d'appoint	calefacción auxiliar	mezzi integrativi di riscaldamento	<b>calefactōrium auxiliāre</b>
<b>Elektrokonvektor</b>	floor-level electric convector	plinthe chauffante électrique	radiador eléctrico	termoconvettore	<b>*convectrum electricum</b>
Thermostat	thermostat	thermostat	termostato	termostato	<b>*thermostatum, -ī n.</b>
Rippe	fin	ailette	aleta	aletta radiante	<b>*ālula *convectrī</b>
Deflektor	deflector	déflecteur	deflector	deflettore	<b>*dēflectrum, -ī n.</b>
<b>Konvektor</b>	convector heater	conveiteur	radiador de convexión	convettore	<b>*convectrum, -ī n.</b>
Luftaustrittsöffnung	outlet grille	grillage	rejilla de salida	griglia di uscita dell'aria	<b>exitus āēris</b>
Gehäuse	casing	carter	cubierta	invólucro di copertura	<b>involutrum, -ī n.</b>
Heizlüfter	fan heater	radiateur soufflant	ventilador de aire caliente	termoventilatore	<b>*ventilātrum āēris calentis</b>
Heizstrahler	radiant heater	radiateur rayonnant	calefactor eléctrico a infrarrojos	stufa radiante	<b>fornāx *radiātōria</b>
ölgefüllter Heizstrahler	oil-filled radiator	radiateur bain d'huile	calefactor de aceite	radiatore elettrico a olio	<b>fornāx oleī *radiātōria</b>

**Haec vocabula domestica  
excerpsit et in Latinum convertit  
Nicolaus Groß  
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

Proxima pars sequetur: VOCABULA DOMESTICA VII

## **EPISTULA IOANNIS CAROLI ROSSI**

### **ARCHITECTI MEDIOLANENSIS**

Solent, Nicolae mi, pergratae epistulae leoninae tuae afferri, ex quibus non modo magnam capio voluptatem, sed occasionem lexicon meum ditandi facile arripi. Non omnia, verum ut fatear, probare mihi videor, quae tu proposuisti – scis enim emunctioris naris esse interdum nos Italos... - sed valde acribeian tuam laudo et industriam et curam in

discutiendis omne genus libris. Velim ergo, ut aliquatenus laborem tuum, si fas est, pensem, tibi indiculum subiungere vocabulorum, quae, Vitruvio plerumque adhibito sed nonnulla de meo penu deprompsi, ex italico in latinum ante nonnullos annos converteram: agitur scilicet de munere meo architecti. In iis reperies quomodo graduum mensurae praecipuae a Vitruvio significantur: quas enim tu, certe certis innixus fundamentis, proposuistis – altitudinem (alzata, steigung) et partem calcabilem (pedata, trittstufe)- Vitruvius easdem crassitudinem et retractionem appellat.

Haec cupiebam tecum paucis, cujus meminisse semper gratum, etsi inter nos abhinc quadraginta annos vidimus neque umquam posthac... Perge igitur in inceptis tuis, quae laus summa sequatur oportet. Vale basilice!

Tuus Joannes Carolus

### **Joannes Carolus Rossi**

OANNES CAROLVS ROSSI ARCHITECTVS \* MEDIOLANI \* IN AEDIBVS JVXTA VIAM A MOSCOVIA NVMERO XIII SIGNATIS

### **INDICVLVS**

**Nonnulla vocabula ab architectis vel structoribus italis usitata, quae, adhibitis etiam Vitruvii libris, latine reddi probabiliter possunt.**

**Alzata** (dei gradini d'una scala) crassitudo, idinis, f; Vitr. passim.

**Antincendio** contra incendium. E.g. contra incendium liquor; - - instrumentum; -- antlia. *Syn:* materia chemica extintoria; sabulum extintorium; tutamina (tutamentum, tutatio) ab ignis periculo; Vitr. VI, VI, 5: "... ut ab ignis periculo sint villae tutiores".

**Bugnato** eminentes expressiones; Vitr. IV, IV, 4; *Syn:* opus tumidum; opus buniatum [*ex bunia*, quo vocabulo Gallicano antiquitus trunci umore tumentes, tum apud Italos corbes vimineae significabantur, in quarum similitudinem murorum eminentes expressiones deformari coepitae sunt].

**Catasto** tabulae censoriae.

**Composizione** temperatio, temperatura.

**Concentrico** (adi); uno eodemque centro circumductus; *Syn:* idem centrum habens (Bad.); **cerchi** - orbes circumducti maiores minoribus; Sen. ep. 1, 12, 6; rotundationes infinitae; Vitr. V, III, 6.

**Contrafforte** 1 anteris, idis, f; *Syn:* erisma, ae, f; Vitr. VI, VIII, 6. 2 mumentum, i, n; Caes., *Gall.*, 2, 17, 4: "Nervi, ut melius se defenserent, effecerant, ut instar muri hae saepes mumentum praebarent". 3 mons prominens, m.

**Contratto di compravendita** tabella emptionis.

**Costipamento e spianamento del terreno** locus congestius ad libramentum, Vitr. III, IV, 2.

**Credibilità professionale** (avere-) quod quis profitetur scire, id creditur; Vitr. III, praef., 1.

**Dosaggio** dosis mensuratio, f; *Syn:* materiae temperatura; Vitr. II,V,1: "efficiet materiae temperaturam ad usum meliorem"; Vitr. VII, VI, 1 "nonnulli (colores) ex aliis rebus tractationibus aut mixtionum temperaturis compositi perficiuntur."

**Eliminate le impurità** relictis stercoribus; Vitr. VII IX 1.

**Effetto pittorico** graphicoterus aspectus, m; Vitr. IV, IV, 4: "graphicotera in aspectu delectatio".

**Finiture** expolitiones.

**Frammenti sparsi** particulae errabundae; Vitr. IV, praef. 1.

**Gioco** laxatio, onis, f; (techn.); **avere un - di due pollici** duorum digitorum habere laxationem. Vitr. IV, VII, 4.

**Giunto** commisura, ae f; *Syn:* conglutinatio, f; iunctura f; **- verticale** coagmentum, i, n; [in re aedificatoria]. Vitr., II,VIII,1: "reticulatum... in omnes partes dissoluta habet cubilia et coagmenta." **- orizzontale** cubile, is, n; Vitr., II,VIII,1: "reticulatum... in omnes partes dissoluta habet cubilia et coagmenta." **A giungi alternati** alternis coagmentis, abl.abs.

**Graficamente** grammicis rationibus, abl.; Vitr. IX, I, 5.

**Intonaco rustico e lisciatura** (stendere sulle pareti) parietes quam asperrime trullizentur, postea autem supra, trullisatione subarescente, deformentur directiones harenati.

**Legge urbanistica** lex urbicularia de locis aedificandis

**Natura morta** xenia; "pictores ea, quae mittebantur hospitibus, picturis imitantes xenia appellaverunt"; Vitr. VI VII 4. Recentiores proponunt "natura inanima" vel "inanima, orum".

**Navata centrale** mediana testudo; Vitr. V I 6.

**Parapetto** pluteum, i, n.

**Parquet** contabulatum, i n.

**Piano regolatore generale** Urbis forma directoria

**Piastrella di graniglia** scutulum granatum

**Piastrella di ceramica smaltata** favum fictile crustatum.

**Piloti** pilum, i, n; **edificio a - aedificium** pilatum actum. Vitr.VI, VIII, 4.

**Pedata** (dei gradini d'una scala) retractio, onis, f; Vitr. passim.

**Pendenza** fastigium, n. *Syn:* libramentum fastigatum. **- del 10%** fastigium in centena metra denum centimetrum. Vitr. VII, I, 6 "pavimentum... fastigium habens in pedes denos digitos binos". **- fra il 10 ed il 12 per cento** fastigium in centena metra nec minus denis, nec plus duodenis centimetris. Vitr. VIII, VI, 1 " solum rivi libramenta habeat fastigata ne minus in centenos pedes sicilico ne plus semipede". **- naturale** libramenti proprietas, f. Vitr. VIII, III, 3 "capita fontium... residunt et restituuntur in libramenti proprietatem." **Variazione di - declinatio libramenti.**

**Orientamento** regio; Vitr. V 1.

**Professionalità** sollertia, ae, f; Vitr. passim.

**Rubinetto** espitomium.

**Quota** 1 pars, partis, f; *Syn*: portio, onis, f; collatio, onis, f; collecta, ae, f. 2 altitudo, dinis, f. **Syn**: libra, ae, f; Egger; libramentum, i, n; - **naturale** libramenti proprietas; Vitr. VIII, III, 3; **alla - stabilita** ad libramentum quod constitutum est, sive quod futurum est.

**Riempimento** fartura, f.

**Rivestimento** lorica, ae, f. Vitr. VII, I, 4. *Syn*: loricatio, onis, f; Vitr. VII,I, 5; corium,i, n; Vitr. VII, III, 6. - **protettivo** obstans lorica; Vitr. VII, IX, 4.

**Sfiati** nares, colliquiaria.

**Spessore costante** aequa crassitudo.

**Terrazza** maenianum.

**Telaio** iugum,i, n; *Syn*: tela, ae, f; (in re textili). Quadrum, i, n; (in re lignaria).

Replum, i, n; *Syn*: antepagmentum, i, n; (in portis vel fenestris).

**Trattamenti** tractationes.

**Trave lamellare** trabes compactilis, f. [etsi recens in usum inductae sunt eiusmodi trabes, quae constant ex tabulis ligneis glutine inter se arte conexis, tamen apte vetere vocabulo designari possunt: cfr. Vitr. IV, VII, 4. ].

**Unità di misura** mensurarum rationes.

Hunc indicem vocabulorum, quae spectant ad architecturam, pro suâ scientiâ et peritiâ et humanitate nobis misit IOANNES CAROLUS ROSSI architectus Mediolanensis, ex plus quadraginta annis defensor Latinitatis vivae maxime strenuus.

## LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>